

logismo sunt termini merè Logici. Huc refer syllogismos, in quibus sunt termini merè Rhetorici & Grammatici.

Syllogismus mixtus est, qui constat ex terminis diversarum disciplinarum.

Hic (*nobis*) est realis, vel notionalis.

Realis est, in quo sunt notiones primæ diversarum disciplinarum.

Exempli gratiâ ; Omnis creatura est finita. Corpus Christi est creatura. E. corpus Christi est finitum. Hic est syllogismus mixtus realis, constans ex duobus terminis metaphisicis & uno theologico.

Syllogismus mixtus notionalis est, cujus conclusio & præmissæ habent aliquem terminum Logicum.

Hic syllogismus ab Aristotele sæpe vocatur Logicus, ab Averroë *inventionalis*. Hujus magnus est usus in disputationibus & disciplinarum constitutionibus. Nam notiones secundæ Logicæ sunt veluti normæ, quæ rebus ipsis sunt applicandæ, ut illarum veritas inveniatur, vel certè asseratur.

Canones ejus sunt duo :

1 *Tot possunt esse quæstiones, adeoq̄ conclusiones notionales, quot sunt notiones Logicæ.*

Exempli gratiâ : quæritur, an Deus sit vox distincta vel ambigua, an sit genus, an sit definibilis &c. Item quæritur, an antichristus sit futurus certum individuum, an genus syllogismi sit oratio, an methodus possit observari in SS. Theologia?

2 *Quæstio notionalis probatur medio sumto ex definitione & proprietatibus notionis secundæ, quam in se continet.*

Exempli gratiâ : quæritur, an SS. Theologiæ systema methodicè possit proponi? Affirmatur ex definitione methodi: methodus est instrumentum dianoëticum, quo priora naturâ preponuntur. Intellige methodum doctrinæ. Jam accomodas hanc definitionē ad SS. Theologiam, & vides, Deum esse na-

esse na-